

# FLORA.

N° 31.

Regensburg.

21. August.

1855.

**Inhalt:** ORIGINAL-ABHANDLUNG. Nylander, animadversiones quae-  
dam lichenographicae. — LITERATUR. Caspary, über einige Hyphomyceten  
mit zwei- und dreierlei Früchten. — GETROCKNETE PFLANZENSAMMLUNGEN.  
Rabenhorst, die Algen Sachsen. Dec. XLIII—XLVI. Idem, Klotzschii  
Herbarium vivum mycologicum. Editio nova. Cent. I. Idem, Lichenes euro-  
paei exsiccati. Fasc. I. — ANZEIGE der bei der kgl. bot. Gesellschaft einge-  
gangenen Beiträge.

Animadversiones quae-dam lichenographicae. Auctore W.  
Nylander.

In ephemerede Flora (m. Martii) nuper mihi legendi data fuit  
occasio recensionem humanissime a D. von Krempelhuber conscriptam  
opusculi *Collectanea lichenol. in Gall. merid. et Pyrenaeis*  
jam 1853 editi. Sententias quasdam in hoc opusculo acceptas auctor  
recensionis mihi ut erroneas imputans, paucissimis igitur easdem  
bic explicare vel defendere quaeso.

1). *Lecideam turgidam* Schaeer. „genuineam“ mihi male cogniti-  
tam esse contendit D. von Kplb., ad quod animadvertisam eam ipsi  
haud vere liquere videri. Jam antea (*Lich. Alger.* p. 329, in *Mém.  
sc. nat. Cherb.*, Aug. 1854) indicavi, Schaeererum sub nomine  
*L. turgida* commiscuisse varietatem *turgidam* *Lecideae contiguae*  
Fr. et var. *umbilicatam* (Ram., Des. Moul.) *Lecideae petraeae*  
Fw. — Var. *concentrica* (Dav.) nexus inter hanc typicam varie-  
tatemque *umbilicatam* saepe evidenter ostendit.

2) Pro errore manifesto censet D. v. Kplb. *Lecideam squali-  
dam* et *cinereo-virentem* ut formas verisimiliter unius speciei haberi,  
at differentiam perspicuam, quae inter eas intersit, neque ille, ne-  
que alii edocuerunt. Respectu anatomico certe nullam discrepantiam  
exhibit haec *Lecideae*, nec quoad texturam thalli, nec apotheciorum,  
nec spermogoniorum, solumque leviter forma externa instabili thalli  
differunt. Si D. v. Kplb. eas pluribus locis in natura exami-  
nasset forte opinio nostra ei minus abhorrens visa fuisset.

3) Status deinde s. d. calcareos non agnoscit D. v. Kphb. —  
In errore tamen etiam hoc capite versetur, perinde ac me subsidiis  
pecuniariis imperatoris cuiusdam iter suscipere botanicum relegatum  
volens. Cuique jam lichenologo pratico patere crediderim, lichenes

ad calcem, vi ejusdem physica, facie plus minus mutata obvenire, thallo facile pruinoso vel deliquescente, ut similiter species crustaceae aliis stationibus diversis diversas induunt formas vel colores. Quis nescit *Squamariam saxicolum* ad granitum aliter tingi quam ad saxa calcarea? Pariter *Placodium callopismum* Ach. (Nyl. Herb. Lich. Paris. n. 36.) saepissime eadem causa albescit, quod quo solubilior sit saxi species potius accidit. Et tandem *Lecanora cinerea*, cur non eodem modo ad saxa calcarea occurrat ibique analogam subeat mutationem levem coloris, nescio, nam vix illa alia adest *Urculariae calcareae* Ach., Fr. differentia a *Lecan. cinerea*. D. v. Kplh. de microscopio loquitur, sed sane ejusdem ope distinctionem inter eas veram aliquantulumque constantem frusta inquirat. Secundum cel. Fries *Lecanora calcarea* dignoscitur a *cineraria* praesertim hypothallo albido (male pro charactere essentiali habito „Urculariarum“ ejus sensu) et apotheciis pruinosis, non autem praetervideatur auctorem lichenographiae europeae paucas modo vidisse regiones et vix quidem mere calcareas recentioris formationis, quales in Europa meridionali magna occupant spatia. Ibi, ut in Pyrenaeis ubi variae formationes geologicae se tangunt, experientiam cito consequi datum est, has distinctiones nullus esse momenti solidi, thallum *Lecan. cinereae* var. *calcareae* limite nigricante haud raro cinetam occurrere aequa ac apotheciis denudatis (cf. etiam Leigh. Lich. Brit. exs. n. 13). Anne etiam a D. v. Kphb. negetur vis aquae (locis inundatis) vel ferri in faciem lichenum mutandam? Multis vero adhuc aliis mihi videntur rationibus externis oriri varietates evrumdem. Ita ex gr. *Lecidea alboatra* (cui etiam formae sua calcareae *epipolia* et *speirea*) ad ulmos vetustas pruinosa, ad populos laevigatas nuda. *Opegrapha varia* var. *notha* similiter ad ulmorum cortices inaequales interdum apothecia profert pruinosa (*nigrocaesia* Chev.) — Afferre simul licet, contra sententiam D. v. Kphb., lichenologum practicum expertissimum Léon Dufour quoque *Lecanoram cinereum* non specie a *calcarea* differre judicare.

Cavendum ne separationes natura non approbata admittantur, nam alioquin periculum est, ne lichenographia mole inextricabili obstructur specierum artificiosarum, quarum non hodie desunt fabricatores strenui. \*)

---

\*) Vorstehende Bemerkungen sind uns mit der Nachricht zugekommen, dass die verschiedenen lichenographischen Brochüren des Verf. sowie die erste Centurie von dessen Herbarium lichenum parisiensium durch Mr. Haguero, naturaliste, rue de Beautreillis, 12, à Paris, bezogen werden können.

---

# ZOBODAT - [www.zobodat.at](http://www.zobodat.at)

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung](#)

Jahr/Year: 1855

Band/Volume: [38](#)

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: [Animadversiones quaedam lichenographicae 481-482](#)